



**ELTE BTK**  
**ÓKORTUDOMÁNYI INTÉZET**  
**LATIN TANSZÉK**



**ARPINÓI NEMZETKÖZI CICERO-  
VERSENY**

**HAZAI VÁLOGATÓJA**

**<http://abeljeno.elte.hu/arpino/>**

**Egy ókori krimi**

In itinere quidam proficiscentem ad mercatum quendam et secum aliquantum nummorum ferentem est comitatus. Cum hoc, ut fere fit, in via sermonem contulit; ex quo factum est, ut illud iter familiarius facere vellent. Quare cum in eandem tabernam devertissent, simul cenare et in eodem loco somnum capere voluerunt. Cenati discubuerunt ibidem. Caupo autem – nam ita dicitur post inventum, cum in alio maleficio deprehensus est – cum illum alterum, videlicet qui nummos haberet, animum advertisset, noctu postquam illos artius iam ut ex lassitudine dormire sensit, accessit et alterius eorum, qui sine nummis erat, gladium propter adpositum e vagina eduxit et illum alterum occidit, nummos abstulit, gladium cruentum in vaginam recondidit, ipse se in suum lectum recepit. Ille autem, cuius gladio occisio erat facta, multo ante lucem surrexit, comitem illum suum inclamavit semel et saepius. Illum somno inpeditum non respondere existimavit; ipse gladium et cetera, quae secum adtulerat, sustulit, solus profectus est. Caupo non multum post conclamat hominem esse occisum et cum quibusdam deversoribus illum, qui ante exierat, consequitur in itinere. Hominem comprehendit, gladium eius e vagina educit, reperit cruentum. Homo in urbem ab illis deducitur ac reus fit.

(Cicero: De inventione II, 14–15)

**Eredmények 2022. január 21-től a <http://abeljeno.elte.hu/arpino/> honlapon!**